Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2243
Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 6. *Compilatio Magistri thome de Aquino ordinis fratrum predicatorum.* Incipit: *Imprimis ergo vos scire oportet, quod tota fides nostra circa diuinitatem et humanitatem christi versatur* &c. Est Pars *prior* Opusculi *de Articulis Fidei et Ecclesiae Sacramentis*, omisso tamen *Prooemio*, extatque post alias editiones inter Opera *Thomae Romae* T. XVII. 1570. *numero* 5. p. 61. f.

IV. *fol.* 7. *Tractatus de beghardis*, cujus initium: *Beghardi qui seipsos nominant fratres de altissima paupertate, dicunt et affirmant se imitari vestigia christi* &c. Est simplex Errorum Catalogus, quorum XXVII. censentur, similis illi, quem *Guido de Perpiniano* Carmelit. exhibet in *Summa de Haeresibus* edit. Ascens. 1528. fol. 108. f.

V. *fol.* 8. Versus leonini de temporum iniquitate, et praecipue contra vitia Mulierum. Initium est:

Quid modo sincerum, iam regnat abusio rerum.
Supprimitur verum, iam prevalet ars mulierum &c.

VI. *fol.* 9. Brevis Instructio pro sacris Oratoribus, quae incipit: *Ut ornate loqui scias et deuote cum predicas, nota 4^or^ versus in quibus comprehenduntur 20. colores rethorici et eorundem breuis expositio.* Versus I. est:

Contendo repeto dubito contrarius addo.

VII. *fol.* 10. p. 2. *Disputatio Judaeorum et S. Athanasij.* Verius *Anastasii* non quidem *Sinaitae*, sed Abbatis *S. Euthymii in Palaestina*, ut censet *Henr. Canisius*, qui eam T. III. *Antiq. Lect.* ex *Franc. Turriani* versione inseruit, unde in *Bibl. PP.* migravit, legiturque *Lugdun.* T. XIII. p. 333. Quod autem Codex noster exhibet, lacinia tantum est in Dialogi formam redacta hoc initio: *Paschalis de Roma hoc opusculum disputationis iudeorum contra sanctum anastasium ad honorem venerabilis patriarche Grandensis* (Gradensis, Henrici Danduli?) *fideliter ac deuote transtulit Anno domini M°. C°. LXIII°. Interrogauit iudeus, cum deus precepit ligna non esse adoranda* &c. Atqui haec interrogatio *sexta* demum Opusculi impressi *columna* occurrit. Finis praeterea noster ab impressis penitus abludit; nam post *Zachariae* testimonium *de confixione Domini* dicuntur Judaei erubuisse, discessisse dicentes: *Adonay erramus, deuicti sumus* &c. ubi Impressa ultra 21. *columnas* excurrunt.

VIII. *fol.* 12. rursus hiulci versus, praecipue contra Mulieres, quorum initium:

Qui